

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Discere d  
cum uariis

Sapiens quidam cum de modo et forma discendi interrogaretur: mens, inquit, humilis, studium querendi, uita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra remota, hec reserare solent multis obscura legendi. Audierat, puto, quod dictum est: mores ornant scienciam. Et ideo preceptis legendi, precepta quoque uiuendi adiungit ut et modum uite sue et studii sui rationem lector agnoscat. Illaudabilis enim est sciencia quam uita maculat impudica, et idcirco summo opere cauendum est ei qui querit scienciam ut non negligat disciplinam.

Hugo libro III. didascalicon.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

remota] uel aliena *add.* M P V<sup>1</sup>; legendi] legendo V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; mores ornat scienciam] scienciam mores ornat B; precepta *del.* (*cor. in marg.*) M, praeterea L<sup>2</sup>; impudica *om.* (*cor. in marg.*) M; summo] sumo C